

quando nec viua mansuescit, & corpus occisa statim marcescit. Est & alia nomine eodem, à coturnicibus magnitudine tantū differens, croceo tinctu cibus gratissima. Visam in alpiibus ab se peculiarem Aegypti ibi, M. Egnatius Caluinus praefectus earū prodidit.

De pouis auibus, & de fabulosis. CAP. XLIX.

Venere in Italiā Bebriacensibus bellis civilibus trans Padū & nouae aues (ita enim adhuc vocantur) turdorū specie, paulum infra colūbas magnitudine, sapore grata. Baleares insula nobiliorē etiā supradictō porphyriōnē mittunt. Ibi & buteo accipitrum generis in honore mensarum est: item vipiones, sic enim vocant minorem gruem. Pegasos equino capite volucres, et gryphas aurita adūcitate rostri, fabulosos reor: illos in Scythia, hos in Aethiopia. Equidem & tragopanadem, quam plures affirmant maiorem aquila, cornua in tēporibus curuata habentē, ferruginei coloris, tantum capite phœniceo. Nec Sirenes impetrauerint fidē: licet affirmet Dino, Clitarchi celebrati autoris pater, in India esse: mulceriq; earū cantu, quos grauatos somno lacerent. Qui credit ista, & Melampodi profecto aures lambendo, dedisse intel lectum auium sermonis dracones non abnuet: vel quae Democritus tradit, nominando aues, quarum confuso sanguine serpens gignatur: quem quisquis ederit, intel lecturus sit alitum colloquia: quaeq; de vna aue galerita priuatim commemorat, etiam sine his immensa vitae ambage circa auguria. Nominantur ab Homero scopes, auium genus: neq; harum satyricos motus cū insident, plerisq; memoratos facile conceperim mente: neque ipse iam aues nascuntur. Quamobrem de confessis differuisse praestiterit.

Quis gallinas farcire instituerit. De auarijs, & quis ea primus instituerit. CAP. L.

Gexorta, opimas aues, & suo pte corpore vntas deuorandi hoc primū antiquis cōnarū interdicitis exceptū inuenio iam lege C. Fānij C O S. xi. annis ante tertium Punicum bellum, ne quid volucrum poneretur, praeter vnā gallinam, quae non esset altilis: quod deinde caput trāslatum, per omnes leges ambulauit. Inuentumq; diuerticulū est, in fraude earum gal linaceos quoq; pascendi lacte madidis cibus: multo ita gratiores approbantur. Fæminae quidem ad saginam non omnes eliguntur, nec nisi in ceruice pingui cute. Postea culinarum artes, vt clunes spectentur, vt diuidantur in tergora, vt à pede vno dilatata repositoria occupent. Dedere & Parthi cocis suos mores. Nec tamen in hoc māgonio quicquam totū placet: hic clune, alibi pectore tantū laudatis. Auaria primus instituit, inclusis omnium generū auibus, M. Lelius Strabo Brundisii equestris ordinis. Ex eo cepimus carcere animalia coercere, quibus natura caelum assignauerat.

De Aesopi patina. CAP. LI.

Maxime tamen insignis est in hac memoria, Clodij Aesopi tragici histrionis patina, sex-

centis H-S. taxata: in qua posuit aues cātu aliquo, aut humano sermone vocales, nummis sex singulas coemptas: nulla alia inductus suauitate, nisi vt in his imitationem hominis manderet, ne quaestus quidem suos reueritus, illos opimos & voce meritos, dignus prorsus filio, à quo deuoratas diximus margaritas. Nō sit tamen (vt verum fatear) facile inter duos iudicium turpitudinis: nisi quod minus est, summas rerum naturae opes quam hominum linguas caenasse.

De generatione auium, & praeter aues quae quadrupedes oua pariant. CAP. LII.

Generatio auium simplex videtur esse, cum & ipsa sua habeat miracula, quoniam & quadrupedes oua gignunt, chamaeleontes, lacertae, & quae diximus inter serpentes. Pennatorū autē infœcunda sunt, quae ad uncōs habent unguēs: cenchrīs sola ex his supra quaterna edit oua. Tribuit hoc auium generi natura, vt fœcundiores essent fugaces earū quam fortes. Plurima pariūt struthiocameli, gallinae, perdices, sali. Coitus auibus duobus modis: Fæmina humi confidente, vt in gallinis: aut stāte, vt in gruibus. Ouorū alia sunt candida, vt colūbis, perdicibus: alia pallida, vt aquaticis: alia pūctis distincta, vt meleagridū: alia rubri coloris, vt phasianis, cenchrīdi. Intus autē omne ouum volucrum bicolor. Aquaticis lutei plus quam albi, idq; ipsum magis luridum quam ceteris. Piscium vnus color, in quo nil candidi. Auium oua ex calore fragilia, serpentium ex frigore lenta, piscium ex liquore mollia. Aquatiliū rotunda, reliqua fere fastigio cacuminata. Exeunt à rotundissima sui parte, dum pariuntur, molli putamine, sed protinus durescēte, qui buscumque emergunt portionibus. Quae oblonga sint oua, gratioris saporis putat Horatius Flaccus. Fæminam edunt quae rotundiora gignuntur, reliqua matrem. Umbilicus ouis à cacumine inest ceu gutta emittens in putamine.

De ouorum generatione, incubatu auium & coitu. CAP. LIII.

Quadam omni tpe coeunt, vt gallinae, & pariunt, praeterquam duobus mensibus hyemis brumalibus. Ex ijs iuueca plura q̄ veteres, sed minore: & in eodem fetu prima & nouissima. Est autē tanta fœcunditas, vt aliqua & sexagena pariāt, aliqua quotidie, aliqua bis die, aliqua in tantū vt effœte moriantur. Hadrianis laus maxima. Columbae decies anno pariūt, quaedā & vndecies: in Aegypto etiā brumali mense. Hirundines, & merulae, & palumbi, & turtures bis anno pariunt: ceterae aues fere semel. Turdi in cacuminibus arborum luto nidificantes, pene cōtextim, in secessu generāt. A coitu x. diebus oua maturescunt in vtero. Vexata autē gallinae & columbae penna euulsa, aliaue simili iniuria, diutius. Omnibus ouis medio vitelli parua inest velut sanguinea gutta, quod esse cor auium existimant, primum in omni corpore id gigni opinātes: in ouo certe gutta salit, palpitātq;. Ipsū animal ex albo liquore oui corporatur. Cibus